& omnes arbores cum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam prope est aestas; ita & vos cum videritis haec fieri, scitote quoniam prope est regnum dei, ait praedicens; quia sicut ex fructu arborum vicina aestas agnoscitur, ita ex ruina mundi prope esse cognoscitur regnum dei.

XXV. De iudaici populi circa mundi finem conversione.

Sancta ecclesia in primitiis suis multitudinem gentium fecundata vix in mundi fine iudaeos quos invenerit suscepit, & extrema colligens eos quasi reliquias frugum ponit, de quibus iudaici populi reliquiis esaias dicit, si fuerit numerus filiorum israhel quasi arena maris, reliquiae salvae fiant, heliae veniente promittitur quod reducat corda filiorum ad patres eorum, ut doctrina senum qui nunc a iudaeorum corde ablata est, tunc miserante domino redeat quando hoc de domino intellegere coeperint filii quod praedicaverunt patres, et tamen qui tarde ad patrem redit significat quod iudaicus populus ad placendum deo sero revertitur, cui hoc in benedictione dicitur, tempusque erit cum solvatur iugum de collo tuo, iudaicus populus in fine mundi liberatur a servitute peccati; sicut scriptum est, Donec plenitudo gentium intraret & sic omnis israhel salvus fieret, & sicut propheta ait, si fuerit numerus filiorum israhel sicut arena maris, reliquiae salvae fient, sancta ecclesia adhuc in hac vita posita pro laboribus quos sustinet duplicia munera suscepit cum susceptis ut diximus plane gentibus in fine mundi iudaeorum etiam ad se corda convertit, sicut scriptum est, Donec plenitudo gentium intraret & sic omnis israhel salvus fieret.

XXVI. De antichristi temporibus.

Antiquus hostis extrema mundi atrocius temptaturus adgreditur, qui tanto fit ferventior ad saevitiam quanto se vicinioremsentit ad poenam considerat quippe quod iuxta sit ut licentiam nequissime libertatis amittat, & quantum brevitate temporis angustatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur, In apocalypsi indicitur, vae terrae & mari

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc433/0354